

apud eos honorentur. Dicunt enim Quintilla & Priscilla in eadem ciuitate Pepuza, Christum specie foeminae reuelatum. Vnde ab hac Quintilliani etiam nuncupantur. Faciunt & ipsi de sanguine infantis quod Cataphryges facere supra diximus. Nam & ab eis perhibentur exorti. Denique alii hanc Pepuzam non esse ciuitatem, sed villam dicunt fuisse Montani, & prophetissarum eius Priscæ & Maximillæ, & quia ibi vixerunt, ideo locum meruisse appellari Ierusalem.

(*Pepuziani à loco.*) Dicti sunt etiam Montanistæ Pepuziani à Pepuza: & Quintilliani à Quintilla, quæ Priscæ & Maximillæ scortis aggregatur tanquam focia, & eorundem errorum prophetissa. Fuit autem Pepuza, quemadmodum scribit Epiphanius. oppidum quod inter Galatiam & Cappadociam Asiæ regiones situm erat. ab Hieronymo. autem & Eusebio. lib. 5. cap. 18. Tynnium appellatum, cuius ætate, non iam vrbs erat, sed pagus tantum. Fortasse fuit illud ipsum oppidum quod à Plinio lib. 6. cap. 2. Trium nominatur, & in illis ipsis regionibus ab eo collocatur, quod propter istas hæreses à Deo fuisse desolatum verisimile est. Alius autem est vicus Pazo in Phrygia, vbi sunt fontes Sangarii fluminis, quàm Pepuza. De quo vide Socratem. lib. 4. cap. 28. Ergo Montanistarum hæresis illic, id est, in Phrygia, Galatia, Cappadocia, & vicinis locis plurimum & latissimè grassata est. Pepuzianos autem, quos alii Pepuzitas vocant, cum Montanistis coniungit Theodoretus. lib. 2. tanquam prorsus eosdem: hinc autem separat cum Epiphano. Augustinus. omnino verò prætermisit Isidorus. Equidem censuerim istos riuum quidem fuisse su-